

ES THEOL.
MUSEI



Dies muß 11



34.

I. N. J.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
TERMINO VITÆ
HUMANÆ,

Quam
in florentissimâ Academiâ Salanâ,

PRÆSIDE
VIRO

Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DN.

JOH. ERNESTO GERHARDO,
SS. Theol. D. & Prof. Publ. longè celeberrimo,
& venerandæ Facultatis Theologiæ h. t. DECANO
spectatissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni obser-
vantiæ & honoris cultu æternùm devenerando,

Publico examini sistit

AUTOR

MATTHIAS JACOBI,
DANTISCANUS.

Ad d. 25. Junii Anno M DC LXIV.

in Auditorio Theologorum.

JENÆ,

Typis JOHANNIS NISIL.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
TERMINO VITAE
HUMANAE.

in Universitate Academiæ Salanae,

Publicè
VIRI
Maxime Reverendi, Nuperrime atq; Excellentissimi

DN. JOHANNES GERHARDUS,
Ss. Theol. D. & Prof. Publ. longè celeberrimus
& venerandæ Facultatis Theologicae h. c. D. a. c. n. o.


Specjalissimo
Dr. Patrono, Praeceptoræ Promotore suo omni obser-
vantia & honoris cultu reverentia

AUTOR
MATTHIAS JACOBUS

DANTISCAE
Abbas, Jun. anno MDCCLXIV.
in Auditorio Theologico.

THEOPHILUS NIGEL





P R O O E M I U M.



Acob Patriarcha annos centum & triginta natus, ad dies Patrum suorum respiciens, brevem & malam conquestus est vitam suam, Gen. 47. v. 9. Quidni nos, ipsius dies respicientes, vitam nostram brevissimam & longè pejorem conqueramur? Statim simul ac nascimur, denascimur, statim atque illicò crescit & augetur, simul decrescit & minuitur vita, & quicquid ei accedit, simul etiam decedit. Unde Gregorius in Moral. *Hoc ipsum nostrum vivere, inquit, est quotidie à vitâ transire.* Et Pythagoras interrogatus, quid hominis vita esset? *Ingressus est cubiculum, subitoque egressus est.* Quo innuit, hanc nostram vitam non esse nisi ingressum & exitum. Ipse B. Lutherus, cùm aliquando apud Justum Jonam hospitaretur, vitæ nostræ fragilitatem ostensurus, vitrum vino repletum inter prandendum eidem propinavit, hoc addito extemporaneo versu:

Dat Vitrum Jona Vitro, Vitrum ipse Lutherus;

Ut Vitro fragili similem se noscat uterq̃.

Hoc ipsum etiam confirmat Script. S. tum *Explicitè*, apertissimis dictis. Job. 14. v. 1. Psalm. 90. v. 11. tum *Implicitè*, quando vitam & dies nostras confert cum pulvere, Gen. 3. v. 19. Syr. 10. v. 9. Herbis & fruticibus, Job. 14. v. 2. Psalm. 103. v. 15. Es. 40. v. 6. i. Petr. 1. v. 24. Jac. 1. v. 10. Fœno, Es. 40. v. 6. Umbrâ, Job. 14. v. 2. Aquilâ volante, Job. 9. v. 26. Navi veloci, ibid. v. 25. Course ibid. Ser-mone, Ps. 90. v. 10. Somno, Ps. 90. v. 6. Telâ textoris, Es. 38. v. 12. Job. 7. v. 6. Vestigio Nubis & Nebulâ, Sap. 2. v. 4. Torrente, Ps. 90. v. 5. Fumo, Ps. 102. v. 4. Hinc Nazianzenus: *Fumo, inquit, in aërem evanescente fugacior, & umbrâ præcurrente inaniore est vita nostra.* Sed quid opus est testimoniis, ubi ipsa adest quotidiana rerum experientia? Nonne omnia omnium hominum organa infirma, calor fugax, humor consumptibilis, fragilitatem vitæ

2 A

docent?

docent? Quæ cum ita sint, non Nestoreos nobis spondeamus annos, nec ulnâ longævitatæ nostram metiamur vitam; inprimis quia nos sæpè inopinatos & præter omnem expectationem obruit vitæ nostræ Terminus. Ut enim bullæ, per ludum è conchâ aut putamine à pueris eductæ, non omnes ad eandem altitudinem assurgunt; Sed quædam ab ipso labro nascentes, quædam in sublimi, adeoque diverso spatio & modo pereunt: Sic homines, bullæ instar, ex utero materno prognati, non omnes ad eandem perveniunt ætatem, sed quidam in ipso vitæ limine, quidam in medio curriculo, diversâ etiam horâ & modo decedunt. Accuratè igitur cum Barfillai, 2. Sam. 19. v. 34. hanc vitæ brevitatem consideremus, & cum Mose, ex Ps. 90. v. 13. oremus: *Docenos, Domine, numerare dies nostros, ut sapientiâ erudiamur.* Quod ipsum postquam cum animo meo probè perpendi, præ cæteris materiam hanc in Exercitium Academicum selegi, in causas inprimis (quantum à DEO nobis hæc de re in verbo suo revelatum) impræsentiarum inquisiturus, cur Deus his citiùs, illis seriùs; his in ortu, illis in senectute, aliis aliâ ætate Vitæ Terminum constituerit? Materiam sanè difficillimam & obscurissimam, teste Plur. Reverend. & Excell. Dn. Joh. Meisnero, Prof. Theol. in Illustri Leucoreâ celeberrimo, in Dissert. de Provid. cap. IV. §. 1. ubi ita scribit: *Quid de Terminò Vitæ cujusq; hominis per Providentiâ suam Deus constituerit, questio obscurissima est, in quâ præclarissima ingenia omni tempore cœcutire sibi visa sunt, nec hodiè adhuc viam, unde se expedirent, editis ingentibus voluminibus, reperire potuerunt, quæ si quis legat, haud abs re fortè illud Terentianum usurpare possit: Fecistis probè. incertior sum multò, quàm dudum. Manet scil. in hunc usq; diem pomum contentionis, dum alii hoc, alii aliud quid amplectuntur & propugnant.* Sed ardua licet sit res, & præclarissima etiamnum fatiget ingenia, nihil tamen vetat, quò minùs in arduis etiam ingenii mei vires exercere possim? Conscripsi autem pauca hæc, non ut nodum & ænigma hoc intricatissimum solverem, quia ut non Alexander, ita nec Oedipus sum; Sed ut pro simplici veritate starem, & nimiam securitatem, ex impio Adversariorum Absoluto Decreto promanantem, Scripturæ dictis & rationibus exscriptis orthodoxorum collectis, destruerem, Quod
ut

ut fiat feliciter, adsit nobis ipse Præses Altissimus, qui Terminus sine Termino!

§. I.

ANtequam ad rem ipsam & id, cujus gratiâ Disputationem hanc instituimus, deveniamus, quò meliùs nominum interpretatione in ipsius rei cognitionem provehamur, momente Scaligero Exerc. I. Sect. I. operæ pretium facturi sumus, si priùs vocabula, quibus ipsam rem significare placuit, ab Homonymiâ & diversis significationibus liberemus. Sumitur ergo hîc Terminus (aliis à *terendo*, aliis rectiùs à *terminando* dictus) *non Notionaliter & Technicè*, prout spectat ad Disciplinas Instrumentales; Grammaticam, & est ὄργανον congruè & propriè dicendi: Logicam, ubi *Absolutè* spectatus est Instrumentum Logicum, primam mentis operationem dirigens ad veritatem representationis; quomodo Terminus dicitur Notio illa, quæ rebus ad certum statum exprimendum imponitur; *Respectivè* verò acceptus est extremum Propositionis, &c. Sed *Realiter*, prout rem aliquam intellectui repræsentat. Non verò (1.) ut est Nomen Proprium & notat DEUM Tutelarem finium agrorum, cujus in honorem superstitiosa Romanorum Vetustas celebrabat ad finem Februarii Festum, quod Terminalia dicebatur. De quo Ovidius Lib. 2. Fast.

Spargitur & cæso communis Terminus agno:

Nec queritur, lactans cum sibi porca datur.

Conveniunt celebrantq; dapus vicinia simplex,

Et cantant laudes, Termine Sancte, tuas.

Non (2.) prout idem est ac Limes, qui agrum ab agro dividit; Et ita Termini non sunt transferendi, Deut. 19. 14. cap. 27. v. 17. Et Terminum antiquum movere, h. e. de agro vicini aliquid occupare, Israëlitis interdictum erat, Prov. 22. v. 28. cap. 23. v. 10. Neque (3.) pro Fine & Extremitate alicujus Regionis. Quomodo DEUS Israëlitis Terminos ponere prædixit à mari rubro usque ad mare Palæstinorum, & à deserto usque ad fluvium, Exod. 23. v. 31. Sed (4.) prout idem & ac Finis seu Meta præfixa, ultra quam progredi non licet: uti mors, quâ terminatur curriculum

lum vitæ nostræ, dicitur omnium hominum Terminus. Quæ significatio tantum, cæteris suâ sede & loco relictis, hunc sibi vendicat locum. Porro per *Vitam* nos hîc non intelligere vitam *Generaliter* sic dictâ, quatenus omnibus substâtiis corporeis animâ præditis indifferenter tribuitur, ut plantis, brutis & hominibus; Neque *Strictè* sumtam, quomodo animalia dicuntur vivere; Sed *strictissimè*, prout soli speciei Humanæ competit, patet ex additâ Differentiâ *Humana*. Idem ergò nobis est Terminus Vitæ, quod aliis Mors, Hora mortis, Limes, Finis & Meta Vitæ, &c.

§. II. Dari autem ejusmodi Terminum Vitæ, ignotum illi esse non potest, cui præceptum illud divinum, Gen. 2. v. 17. *Quâcumq; die comederis de arbore scientiæ boni & mali, morte morieris,* & insecuta transgressio nota est. Ut enim *Mors*, tanquam Effectus peccati, ob contingentiam causæ suæ planè contingens erat, ita impositâ causæ per lapsum necessitate, & ipse effectus, mors scil. ob decretum irrevocabile, necessaria facta est. Non verò tantum Terminum Vitæ existere, sed & certò, quoad omnes circumstantias, cuivis hominum per singularem DEI Providentiam constitutum & prædefinitum esse, *Probamus* (1.) *Dictis & Exemplis Scripturæ*, Job. 14. v. 5. Psam. 31. v. 16. Ps. 39. v. 6. Ps. 139. v. 16. Eccl. 3. v. 12. Sir. 17. v. 3. cap. 37. v. 28. Sic certus Terminus constituebatur Aaroni, Num. 20. v. 24. Mosi Deut. 32. v. 49. 50. Filio Jeroboami, 1. Reg. 14. v. 12. & 17. (2.) *Ex speciali DEI Providentiâ*. Quicumque omnem vitam humanam, quoad ingressum & progressum, omnesq; ac singulas singulorum hominum actiones Providentiæ oculo intuetur, secundum intuitum regit, ordinat ac disponit: Ille etiam vitæ egressum oculo Providentiæ intuetur, ordinat ac disponit. Sed DEUS, &c. Ergò. Maj. procedit, ut totum ad suas partes, & genus ad suas species. Minorem nullus Christianorum facile negabit, cum ea sufficientissimè ex Scriptura S. & omnibus Compend. Theol. patescat. Idem indigitasse videtur, & Aristoteles, quando lib. 2. de Generat. & Corrupt. scribit: *Cujusq; tempus & vita numerum habent, numerog; præstiniuntur. Omnium enim ordo est. Et omne tempus ac vita circuitu mensuratur.*

§. III.

§. III. Neque obstat quod Henoch & Elias vivi, h. e. sine separatione animarum à corporibus, dicantur in coelum translati, Gen. 5. v. 24. Fuit enim modus extraordinarius, ordinarium non evertens. Quid, quod erroris haut arguendi, si cum B. Ægidio Hunnio, & hos aliquid mortis expertos esse, pronunciaverimus. Ita verò B. ille Vir Tom. I. Disp. Marp. Disp. 39. §. 16. Nihilominus scribit, *in ipsis quoque (Henoch & Eliâ) mortis quiddam evenit ἀνὰ λογόν, subita nimirum illa transmutatio, per quam in immortalitatis statum ipsorum corpora transformata sunt: peccato, & unâ cum peccato, ipsâ quoque corruptibilitate ex carne radicitiùs evulsis & extirpatis.* Idem modus mortalitatem relinquendi eveniet iis, quos novissimus dies vivos deprehendet; quis autem neget, subitam illam immutationem & raptum in occursum Domini, ipsis instar mortis futurum, Vid. Feurborn. Fasc. V. Disp. 7. §. 21. & 25.

§. IV. Est autem Terminus Vitæ vel Physicus sive Naturalis, Vel Hyperphysicus sive Supernaturalis. Qua de re ita Lyra in cap. 14. Jobi: *Constitutio Termini, inquit, dupliciter intelligi potest. Uno modo, prout est in divinâ ordinatione, & sic termini vitæ hominis præteriri non possunt anticipando vel differendo, quia ejus providentia est infallibilis: alio modo, ut est in effectu exteriori, in quantum ex naturalibus causis est periodus certa vitæ hominis, & in aliquibus major & minor secundum varietatem complexionis, & secundum hoc termini vitæ possunt anticipari per malum regimen, gladium vel aliam occasionem.* Quam termini vitæ distinctionem & ipse Jobus innuere videtur, dum vocabulum חַיִּים in plurali numero effert.

§. V. Terminus Naturalis respicit Causas naturales: quæ vel Interna, ut sunt potissimum calidum innatum, & humidum radicale, quæ, uti ab illis tota vita naturalis dependet, cum deficient & consumuntur, ipsa etiam hominis vita deficit & perditur. Ut autem calor natus, humidum radicale sibi proportionatum nactus, flammæ instar omnes nostri corporis partes calore perfundit, nutrit, auget & sic bonum temperamentum causat: Ita humidum illud, exterius si non augetur, tandem depascit & consumit, perinde atque accensus lychnus oleum, ut deinde pabuli
& hu-

& humidi radicalis defectu calidum ipsum & cum eo ipsa vita extinguatur. Et tunc homo naturalem dicitur explevisse Terminum. Qualis Terminus prædicatur de Isaaco, Gen. 35. v. 29. de Sacerdote Jojada, 2. Par. 24. v. 15. & præter propter se hodie extendit ad annum LXX. vel. LXXX. ut infra videbimus. *Causæ Externæ* tot sunt, ut brevibus hinc enarrari vix possint. Possunt enim esse gladius, laqueus, ignis, aqua, calor, frigus, crapula, Venus, sitis, fames & complures aliæ. Vocatur vulgò terminus hic *Mors violenta*, quia violentia quadam causas naturales vitæ internas destruit. Qualis olim obtigit octodecim illis, quos turris Siloha opprimebat, Luc. 13. v. 4. & hodie adhuc ferè plurimis, in primis illis, qui cum Socrate non edunt ut vivant, sed vivunt ut edant. Sic cum Juvenis quidam sceleratus in Cataloniâ suspensus, visus est barbâ crescere & capillis canescere, Episcopus illius loci, longioris vitæ usum sibi hunc juvenem sceleribus præcidisse judicavit.

§. VI. Quemadmodum autem Deus Causis his naturalibus non est alligatus, quia ut causa prima non dependet à secundâ, quod commentum Stoici commenti sunt, sed tanquam causarum secundarum motor, pro sua voluntate vel naturæ cursum suum relinquit, vel eundem certas ob causas mutat, promovet, impedit, destruit prolongat & decurtat, prout ipsi visum fuerit: Ita præter Terminum vitæ naturalem datur & *Supernaturalis*, qui (ut monet B. D. Gerhardus in Disp. Isagog. Disp. 16. pag. 667.) est vel *Gratia*: Vel *Ira*.

§. VII. *Terminus Gratia* est, quando Deus piis vitam & facultates vitales vel *Prolongat*, quod fit, quando vires insitas in vigore suo conservat, & quæ extrinsecus illas dissolvere possent, prohibet, partim etiam si ex insitâ vi subsistere non possunt, singulari vigore corroberat. Qualem vitæ prolongationem promisit Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16. Prov. 3. v. 1. 2. e. 4. v. 10. Eph. 6. v. 3. idque non nisi sub certâ hâc conditione: Si sc. Domino Deo serviant, in præceptis ejus ambulent, parentibus & superioribus quibusvis obedientiam debitâ præstent. Unde Paulus 1. Tim. 4. v. 8. *Pietas, inquit, ad omnia utilis est, & promissiones habet presentis & futurae vite.* Illustre hujus rei exemplum habemus Esa. 38.

v. 1. seqq. in Rege Hiskiâ; quem cum Propheta Esaias accederet, *dispone*, inquit, *domui tuae, morieris enim & non viues*; innuens, causas secundas naturales jam defecisse, mortemque naturalem adesse: Rex verò animitus ejus prolongationem à DEO peteret, & in præceptis Domini ambularet, faciens, quod rectum erat coram Domino, juxta omne quod fecerat David Pater ejus: Ecce Dominus Naturæ causas secundas immutavit, & novas vires concedens, vitam ipsi prolongavit. De quâ prolongatione rectè August. dicit: *Secundùm quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui DEUS addidit quindecim annos ad vitam, Nec tamen illi anni additi rectè dicerentur, nisi aliquid adderetur, quod se aliter in aliis causis habuerat, &c.* Et Petrus Martyr. in L. C. Class. 1. c. 11. §. 21. *Quod ad Ezechiam, inquit, attinet, ex causis naturalibus, quæ vulgò secundæ appellantur, mors illi omninò impendebat. Ideò juxta eas pronunciata sententia mendacii accusari non potuit.* Conf. B. Walth. Harm. Biblic. in Es. 38. v. 1. p. 593. It. Tom. 1. Disp. Marp. Disp. 39. §. 59.

§. IIX. *Vel decurtat.* Ut enim non semper quamdiu, sed quàm benè aliquis vivat, cum Senecâ videndum; ita etiam DEUS pios interdum, etsi vitam longævam ipsis promiserit, maturè, ubi ob naturales causas adhuc vivere possent, ex hâc vitâ propter impendens aliquod malum, & sic ob proprium ipsorum commodum, ad coelestem vitam evocat. Unde justus à facie malitiæ colligi dicitur, Es. 26. v. 20. cap. 57. v. 1. Et Sap. 4. v. 10. Dilectus DEI dicitur ex medio peccatorum eripi, ne malitia ipsius intellectum pervertat. Sic pientissimus Rex Josia colligebatur ad Patres suos, ne viderent oculi ipsius omnia mala, quæ DEUS introducturus erat super locum istum, 2. Reg. 22. v. 20. Abia item filius Jeroboami, 1. Reg. 14. vers. 13. Sic pro morte maturâ orârunt Elias 1. Reg. 19. 4. Paulus Phil. 1. 23. & alii. Nec obstat, si quis dicat, decurtationem in piis locum habere non posse, quamdiu prolongatio benedictioni annumeratur. Distingvendum enim cum Fevrborn. Fasc. V. Dissert. Theol. Disp. 6. §. 7. Inter ipsam Regulam, & Exceptionem à Regulâ. Regula est: Pii erunt longævi. Exceptio est: Interdum tamen DEUS eos brevi donat vitâ, quando ipsorum salus & utilitas poscit. Vid. Sap. 4. v. 7. 10. 14. Es. 57.

B

v. 1.



v. i. Unde D. Ægid. Hunnius Tom. 1. Disp. Marp. Disp. 39. §. 48. Quod, inquit, ad pios attinet, interdum DEUS illos à conspectu mali subducit, velut in cubilia sua eos colligens, ne impendentia mala sentiant, aut cor eorum malitiâ pervertatur. Et B. D. Gerhardus, l. c. Regulariter, inquit, & ordinariè DEVS juxta promissionem suam agit, & piis ac morigeris uanegloriâ concedit; Extraordinariè & ob causas quasdam justissimas etiam pii quandoq; prematurâ morte abripiuntur, ne à mundo seducantur. Licet ergò obsequens parentibus filius, in suâ juventute aliquando (quod non rarò evenit) Terminum suum expleat; nihilominus in suis promissionibus DEUS perseverat, vita enim hæc non mansio, sed via est ad alteram vitam. Eoque feliciores, qui, quando DEUS impios bello, fame aliisque pœnis premit, miseriam temporalem cum pace æternâ commutant.

§. IX. *Terminus Ira* tantùm decurtat, quod fit, quando DEUS Impiis in pœnam vel tartarorum etiam accelerationem, vel temperamentum ex suâ naturâ adhuc validum turbat, vel causas externas illud dissolventes non impedit, & sic in medio dierum eos perdit. Et talem vitæ Terminum experti sunt Ger & Onan, Gen. 38. v. 7. 10. Israëlita, Num. 14. v. 29. Deut. 1. v. 35. Ægyptii, Exod. 14. v. 28. Absolon, 1. Sam. 18. v. 9. Filii Eli, 1. Sam. 2. v. 29. cap. 4. v. 11. Quadraginta duo pueri Prophetæ Elisæo illudentes, 2. Reg. 2. v. 24. Ananias, Act. 5. v. 5. & uxor ejus v. 10. Qui omnes & plurimi alii propriâ malitiâ sibi vitam contrahentes hunc terminum constituerunt: juxta illud: *Decurtare tuum est, sed prolongare Tonantis*. DEUS namque non nisi Sceleratis talem præfinivit Terminum, ut videre est, Genf. 9. v. 6. Exod. 22. v. 24. Lev. 19. v. 8. Deut 21. v. 18. seqq. Matth. 26. v. 52. &c. Ubi iterum probè distingvendum inter Regulam, & Regulæ Exceptionem. Regula est: Impii brevem vitam transigent. Exceptio est: DEUS ex infinitâ suâ misericordiâ ipsis dat tempus pœnitentiæ, Luc. 13. v. 8. 9. Rom. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 15. Licet enim impii aliquando diuturniorem & feliciorem vivant vitam, uti v. gr. Rex Manasse, vitæ profligatissimus, annos LV. Imperium obtinuit, quod nulli Regum, neque Davidi obtigit, 2. Par. 33. v. 1. longævitas tamen hæc ipsis non ut præmia & benedictio communicatur; sed ut

ut vel poenitentiam agant, & corrigantur, ut factum est Antediluvianis, Gen. 6. v. 3. Sodomitis, Gen. 18. v. 32. Ninivitis, Jon. 3. v. 10. & omnibus adhuc hodiè impiis, Luc. 13. v. 5. Rom. 2. v. 4. vel ut boni & pii per eos exercentur, ut Pharaon, &c. Ita enim B. Hunnius, l. c. *Mali & Impii licet aliquando etiam diu vivant, tamen longevitas hæc ipsis non ut beneficium communicatur; sed ut vel corrigantur, vel ut boni per eos exercentur.* Nam quando DEUS impium perdere constituit, nullâ cautelâ, nullâq; curâ vitam servare potest; ut exemplo nobis est Absolon, cui vita eripitur, etiam contra expressum Patris interdictum, 2. Sam. 18. v. 512. seqq.

§. X. Uterque Terminus tam Naturalis, quam Supernaturalis certò & infallibiliter nobis fixus est, non quidem ex decreto & voluntate DEI absolutâ, quæ nullum habeat respectum ad causas naturales & hominum actiones tum bonas tum malas; sed voluntate conditionatâ, illa scilicet, quæ causas secundas & liberum hominis arbitrium includit. Unde hanc nostram de constituto Termino ponimus sententiam: DEUS, ubi ab omni æternitate, tam ea, quæ absolutè, quam, quæ positâ hæc vel illâ conditione eventura erant, secundum nostrum intelligendi modum prævidit, item hos, vel illos homines ex voluntatis libertate voluntati divinæ obtemperaturos, & media, tam naturalia quam supernaturalia, ad vitæ prorogationem à DEO ordinata, assumpturos; Alios contra voluntati divinæ repugnaturos, & media tam naturalia, quam supernaturalia, non ad prolongationem, sed abbreviationem inservientia, accepturos: Ita quibusdam ex merâ gratiâ, temperamentum & causas naturales, ne per causas externas violentas citius extingvantur, conservare, corruptas restituere, & sic terminum prolongare, vel ob malum aliquod imminens, & (ut Scriptura loquitur) ne cor eorum malitiâ pervertatur, quandoque abbreviare, constituit & decrevit; Quibusdam verò, ut impiis, poenæ loco temperamentum & causas naturales contrahere, & sic vitam abbreviare, vel ex singulari & æquisimo iudicio, tum piis in singularem utilitatem & commodum, tum impiis aut in poenitentiam, aut majus malum quandoque causas naturales concursu suo ad commodum tempus conservare constituit & decrevit.

§. XI. Huic Orthodoxæ Sententiæ sese opponunt ex antiquis Philosophis Epicuræi & Stoici. Illi, Terminum vitæ planè fortuitum facientes, semper in ore habuerunt illud, Sap. 2. v. 2. *Fortuito nati sumus, & post hæc erimus, tanquam non fuerimus.* Hi, ut omnia necessariò fieri docebant, ita & Terminum vitæ planè fatalem & simpliciter necessarium fecerunt, dicentes apud Cic. lib. de fato: *Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere, sive medicum adbibueris, sive non, convalesces. Item, si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adbibueris, sive non, non convalesces. Et alterum fatum est; Medicum ergò adbibere, nihil attinet.* Quale Stoicum solamen erat, quo Hector in prælium iturus uxorem, ne in prælium iret dehortantem, consolabatur. *Generosa, ne mihi valdè vexeris animo, non enim aliquis me præter fatum vir ad orcum dimittet; Fatum verò dico neminem effugisse hominum.*

§. XII. Calviniani moderni licet fatum suum à Stoicorum fato distingere conentur, dum nō, ut illorum, omnem humanam libertatem tollere dicunt: ore tamen rejiciunt, quod corde acceptant. Quid enim aliud, quàm hominum libertatem cum Stoicis tollunt, dum asserunt: Omnem DEI voluntatem esse absolutam; Nullum decretum conditionatum, Nihil DEUM à nobis velle sub conditione. Omnia, quæ in temore fiunt, DEUM ab æterno ut sic fiant, decrevisse. Quid aliud quàm voluntatis libertatem tollunt, quando dicunt: Voluntatem nostram à voluntate DEI dependere, & non posse non velle, quicquid DEUS ab æterno decrevit; sed ad omnia ab ipso DEO inclinari. Vide Calv. in Instit. passim. Piscat. &c. Ut unum & alterum testimonium in majorem rei evidentiam hîc adducamus; disertè scribit Zanchius, Lib. 5. de Nat. DEI cap. 1. q. 4. *Ac proinde simpliciter respectu divina Providentia, nihil evenit aut fit, quod non eveniat & fiat inevitabili necessitate: non solùm quoad res, quæ fiunt, sed etiam quoad modos, quibus fiunt.* Et Chamier Panstr. Tom. 2. l. 2. de Prov. c. 12. *Judam, Judeos, Pilatum, &c. ex necessitate divina providentia horrendum scelus in Christum admisisse, dicit.* Imò Vossius Tract. de Orig. & Progress. Idol. l. 2. c. 49. fatetur & expressè affirmat, Stoicos olim iisdem loquendi formulis, quibus hodiè
Cal-

Calviniani, ad probandam suam fatalitatem usos fuisse. Quis ergo non videt, plurimos hodiè Calvinianorum Stoicis non tantum non absimiles, sed propè peiores esse? Dum enim Charyb-
 din Stoicam cavere student, sæpè in Scyllam Epicuream incidunt. Aut ut Beverovicus, ipse Calvinianus, loquitur: *Dum cavent, ne in Stoicorum dumeta compellantur, in vasto Epicureorum agro vagantur & errant.* Unde heterodoxam hanc orthodoxæ nostræ è diametro adversam ponunt sententiam: DEUS, ut ab omni æternitate ex solo & nudo beneplacito, etiam antequam per scientiam suam præcognovit, quid in tempore vel bene, vel malè homines facturi essent, vitæ Terminum præfinivit, & unicuique temperamentum & causas secundas physicas, unde naturaliter vita pendet, ita moderari decrevit, ne seriùs aut citiùs, quàm ipse constituit, defluant: Vel etiam non habito respectu ad causas naturales aut media, preces scil. & pietatem, unicuique hominum certum vitæ Terminum, quoad omnes circumstantias, locum, modum & causas mortis ita præfinivit, ut, sive benè sive malè agat, nullus hunc Terminum vel prolongare vel abbreviare possit.

§. XIII. Antequam verò immotis Scripturæ dictis & firmissimis rationum consequentiis sententiam hanc destruamus, & priorem illam veriore adstruamus; in antecessum aliquid de Præscientiâ DEI, & Humanæ voluntatis libertate, quibus tanquam *βασει* sive fundamento tota hæc controversia superstruitur, præmittemus. De præscientiâ DEI hoc imprimis inter Nostrates & Calvinianos quaritur: *An nim. ea rerum contingentiam tollat, & omnia necessitet?* Calviniani rationem fidei obedientiæ præponentes, rerum contingentiam ideò negârunt, quia omne, quod Deus præscit, non possit non evenire. Sed cautè hîc ambulandum, quia DEUS quidem omnia præscit, & rerum omnium prima est causa, non tamen rerum tollit contingentiam, quicquid etiam contradictionis Rationistæ hîc fingant. Subordinanda nimirum ratio obedientiæ fidei: quâ etiam ducti quæsitam negativam defendimus.

§. XIV. Quod antequam fiat, quoad controversiæ statum disting. (1.) Inter Prævisionem & Præscientiam DEI, ut est



perfectissimum & *essentiale DEI Idioma*, quod nullâ re determinari potest. De quâ B. Hutterus L. C. de Prov. *Etiam si*, inquit, *vel maximè nullæ res essent conditæ, tamen illa* (Præscientia essentialis) *sibi constaret perfectissima*: Et inter illam, *ut sese habet ad res prævisas, & potest aliquando esse limitata*, quia ita res futuras præscit, ut eveniunt. Quando igitur de DEO futurorum prævisio prædicatur, non intelligitur Prævisio & Præscientia propriè dicta, quia ut DEO omnia sunt præsentia, ita nihil ipsi præteritum, nihil quoque futurum esse potest; Sed intelligitur Prævisio *αὐθ γωνοπαθῶς* dicta, & quæ est secundum nostrum intelligendi modum. Non autem Prævisio & Præscientia DEI est talis, qualis hæc nostra est, hoc est, non est qualitas aliqua substantiæ inhærens, quæ discursu & ratiocinatione constat, & de ignoto ad notum procedit; Sed est una & simplex visio & notitia, quâ ipse mutabilia immutabiliter, composita simpliciter, successiva simul, temporalia ab æterno, & quæ adhuc futura sunt, præsentem & actu cognoscit. (2.) Dist. Inter Præscientiam, quæ *Decreta DEI antecedit*: Et inter illam, quæ *Decreta consequitur*. Non hæc, sed illa est h. l. uti pluribus infra monebimus, §. 30. (3.) Disting. Inter *Necessitatem Absolutam seu Consequentis, & conditionatam seu Consequentia*. Hanc, non illam infert Præscientia DEI. Ob Scientiam quidem DEI infallibilem res præscita non potest non evenire & necessaria est; quia tamen in suâ naturâ res aliter fieri poterant, non eveniunt necessariò, sed contingenter, quia & Deus eas aliter prævidere potuisset. Non ergo planè absurdum, Decreta DEI ab actionibus causarum secundarum dependentia statuere, quia, ut diximus, res non dependent à præscientiâ; sed præscientiâ à rebus, tanquam ab Objecto. Et licet DEUS ad prævisionem suam nullâ indigeat successione, speciebus intelligibilibus & discursu rationis, nihil tamen obstat, quò minùs in signo rationis, ratione sc. objectorum, ordinem aliquem in decretis DEI observemus.

§. XV. Hic præsuppositis, Præscientiam nullum effectum necessitare, Prob. (1.) *Ex Effectus formalitate*. Omnis Effectus, tam necessarius quàm contingens, ex proximis & adæquatis causis est æstimandus, Universalis enim & remota causa, licet ad plu-

ad plures producendos effectus concurrat, non tamen qua univer-
salis, ejusmodi necessarium aut contingentem effectum deter-
minat. Jam Præscientia DEI præcisè nec est rerum, quæ sunt
causa proxima & particularis, quia sic omnes res præscitæ essent
necessariæ; neque remota & universalis, quia non propterea a-
liquid contingit, quia DEUS præscit, sed quia futurum est, præ-
scit. Actus enim non est causa sui Objecti, sed potius Objectum
est causa sui actus. Notanda enim hîc Regula Theolog. *Res non
pendent à scientiâ; sed scientia à rebus.* Supponit ergo Præscientia
futurorum res futuras, quæ si sunt necessariæ, præsciuntur neces-
sariò; si contingentes, contingenter. Unde aliud est, rem ali-
quam ob certam & infallibilem DEI præscientiam certò & infal-
libiliter futuram esse, aliud ob eandem præscientiam esse necessa-
riam. Vid. Becan. Tom. I. Tr. I. c. 10. qu. 12. §. 4. 5. (2.) Ex con-
trariæ sententiæ Absurditate. Si enim Præscientia DEI rerum
præscitarum est causa, sequitur (α) DEUM omnium peccatorum
& scelerum esse causam, quia peccata præscit tam quoad mate-
riale, quàm quoad formale. Rectè enim Augustinus lib. 3. de
lib. Arbit. c. 4. *DEUS, inquit, omnia, quorum ipse Autor est, præ-
scit; nec tamen omnium, quæ præscit ipse, Autor est.* (β) DEUM
necessariò agere, necessariò mundum creasse, quia ejus creatio-
nem ab æterno prævidit (γ) Omnes res præscitas certò evenire:
quod tamen falsissimum. DEUS namque præter certò futura,
& ea, quæ nunquam futura, præscit; quomodo Tyrios & Sidonios
pœnitentiam acturos præscivit, si tanta, quanta Capernaitæ, vi-
dissent miracula, Matth. II. v. 21. item Davidem, si mansisset, in
Ceilâ, traditum iri in manus Saulis, I. Sam. 23. v. 11.

§. XVI. *Objic. Deum nihil præscire, quod fieri non velit,*
quia scientia & voluntas in Deo unum & idem sunt. Verùm Resp.
Scientia & voluntas sunt quidem unum & idem in Deo ratione es-
sentiæ & idealiter; non tamen omnia, quæ dicuntur de scientiâ,
possunt dici de voluntate. Sic Deus scit peccata, scit omnia sce-
lera, non tamen peccata & scelera vult. Calumnia ergò est, quan-
do Chamier Panstr, Tom. 2. lib. 2. de Prov. dicit: *Nos hîc non distin-
guere, sed separare voluntatē à scientiâ, i. e. essentiam ab essentiâ; quia
non essentiâ, sed operationibus eas distinguimus, quod absurdum
non*

non est; calor enim & lux licet ab igne separari non possint, in illuminando tamen conclavi non calor, sed lux operatur. Conf. infra §. 31. It. B. Meisn. Philos. Sobr. part. 1. Sect. 4. c. 10. q. 4. p. 614. B. Hülsem. In Brev. Extens. suppl. cap. 4. §. 8. p. 50.

§. XVII. De voluntate humanâ prænotamus, eam esse liberam, non tantum à coactione, quæ & brutis competit, sed etiam à necessitate, ita, ut positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, & non agere. Ne autem hîc moveamus litem crassioribus illis Calvinianis, Zvvinglio, Calvino, Beza, Piscatori &c. qui hominem & à coactione liberum negârunt, dum eum à DEO ad peccandum cogi, impelli, moveri & incitari, asserunt; Recentioribus, qui libertatem à coactione concedunt, illam verò quæ à necessitate dicitur, negant, hoc regerimus: Si homo liber est tantum à coactione, non verò à necessitate, non magis liber est, quàm brutum. Si hoc, cur illi præscribuntur leges, brutis non item? Cur hominibus infliguntur pœnæ, qui tamen, dum necessariò agunt, bonum & malum moraliter facere non possunt? quæ absurda & plura alia adversariis opponit B. Meisnerus in Phil. Sobr. part. 1. Sect. 2. c. 1. p. 232. Tolle, inquit, *libertatem voluntatis humana, & tolles omne virtutis & studium & premium, omnem vitiorum & culpam & pœnam, omnem legum & promulgationem & observationem, omnem deliberationem, consultationem, electionem, omnes preces, deprecationes, supplicationes, omnia judicia, omnem magistratum, imò omnem & universam Politiam &c.* Chamier ut libertatem humanam tollat, Tom. 3. Panstr. l. 2. n. 12. dicit: *Deum non tantum persuadendo hominis voluntatem movere ad hoc vel illud agendum; sed & ita voluntatem movere, ut aliter agere non possit, quàm ut movetur.* Ex quibus tale formari potest argumentum: *Si Deus hominis voluntatem movet, ut aliter agere non possit, quàm ut movetur, voluntas humana non est libera, sed necessariò agit id, ad quod movetur à Deo.* Sed verum prius, Ergo & posterius. Antecedens Chamier probat trito axiomate Philosophorum. *Causa secunda non agit, nisi mota à causâ primâ.* Aut, ut Aristot. loquitur: *Proprium primi Motoris est, movere non motum.* Sed Resp. (1.) Si Chamier hîc intendit motionem voluntatis, quæ ipsam actionem essentialiter ingreditur, & eadem actio est cum actione

one causa secundæ, negamus consequentiam, quia hæc non tollit libertatem voluntatis agendi: Sin verò intendit motionem, quæ ipsum actualem concursum antecedit, & sese habet ad actionem ut prærequisitum antecedaneum, ipsum agendi principium inclinans, negamus Minorem; Concursus enim, qui non est prior nostro concursu, neque nostram determinat voluntatem ad agendum, non affert necessitatem antecedaneam, quæ sola tollit arbitrii libertatem. (2.) Confundit Chamier Causam primam cum principali, & causam secundam cum instrumentali, non enim ut causa Principalis instrumentalem, etiam causa prima secundam elevat & movet; sed generali tantum concursu cum secunda influit, neque ad ullum producendum effectum voluntatem determinat. (3.) Sequitur, Deum per se & directè esse causam peccati. Aut enim Deus ad omnes actiones tam bonas quam malas movet voluntatem, aut ad bonas tantum. Si illud, erit causa peccati, quod blasphemum; sin hoc, possumus aliquid agere sine concursu Dei, quod tamen falsissimum. Insuper si is verè peccati alicujus causa dici potest, qui persuadendo saltem hominis voluntatem ad malum aliquod agendum movet, etiam si nullam ei inducat necessitatem; quidni multò magis Deus causa peccati dici posset, cum secundum Chamierum non tantum persuadendo voluntatem hominis movet, sed etiam ita movet, ut homo aliter agere nõ possit, quàm ut ab ipso movetur. Vide quàm acutissimè hæc de re differentem Excell. Dn. Fridm. Bechmannum, Præceptorem meum colendissimum in Prælect. Metaph. ad Tab. B. Stahlii.

§. XVIII. Quibus præsuppositis, Rationes, quibus tum nostra sententia adstrui, tum adversa illa de absoluto decreto destrui possit, breviter adducimus sequentes: *Primam* desumentes à Providentiæ divinæ indole & proprietate. Arg. Si Providentiæ divina non excludit, sed includit causas secundas physicas, voluntarias hominum actiones & media legitima: Sequitur, Deum non absolutè, sed habito respectu ad causas secundas, voluntarias hominum actiones & media legitima vitæ terminum præfinivisse. Sed verum est prius, E. & posterius. Prius, ut de ipsâ experienciâ non dicam, probari potest tum *Dictis Scriptura*, ut

C

Gen.

Arg.

Gen. I. v. II. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum. Et protulit terra herbam &c. v. 22. Crescite & multiplicamini. Et v. 24. producat terra animam viventem &c. tum Ratione, aliàs enim frustra vis agendi causis secundis esset indita; tolleretur hominis libertas; ipse Deus, non homo peccaret; Deus, non homo puniendus, & præmiis afficiendus esset. Non enim cum Gabr. Biele omnes actiones causarum secundarum soli Deo adscribimus, quasi ipse ad nudam earum præsentiam agat; neque cum Durando solas causas secundas sine Dei concursu effectus producere posse statuimus: Sed medium tenentes dicimus, causam primam cum secundâ tam arctè in agendo esse conjunctam, ut causa prima absque secundâ (actionibus tamen miraculosis exceptis) & causa secunda absque primâ ne quicquam agant. Non verò statim ob unam hanc eademque actionem concludendum, causam primam æquè, ut secunda id facit, voluntatem determinare; Concursus namque Dei cum causis secundis non est ex parte causæ, sed ex parte effectûs, hoc est non determinat voluntatem nostram, quia voluntas Deum potius & semetipsam determinat, ut communiter & rectius docent cum Scoto omnes ferè Theologi & Philosophi.*

§. XIX. *Excipiunt Calviniani: Deum quidem Providentia sua includere causas secundas ad decreta sua exequenda, sed illas jam tum ita præordinasse, ut aliter, quàm ipse præordinavit, agere non possint. Ita namque Zanchius in Disp. de Provid. th. 6. Deus, inquit, immutabili suâ providentiâ non solum ut fierent, quæ fiunt, constituit: Sed etiam ut eo, quo eveniunt modo, omnia evenirent, ab æterno ordinavit. Et Piscator Vol. I. disp. de prov. th. II. dicit, causas secundas, quæ suâ naturâ sint indefinitæ, & in utramque partem propendeant, à Deo in æterno ejus consilio ad unam tantum partem esse definitas, & ad hanc ipsam suo tempore inclinari. Perkinus item de Prædest. p. 61, asserit, Decretum divinum ordinare causas secundas, & ipsam etiam libertatem voluntatis humanæ, non quidem cogendo; ut cum quis lapidem violenter impellit, sed per objecta, intellectui foris monstrata, inclinando, molliter flectendo, sicut ovis dicitur trahi, cum esurienti herba monstratur. Quibus accedunt Sohnius in disput. Heidelb. 13. thes. 8. 2. Polanus in partit.*

pag. 36.

pag. 36. Keckerm. in System. Theol. p. 144. & alii. Sed Resp. non hic præcisè quæritur, an Deus in agendo includat causas secundas; sed potius, an in determinando & decernendo rem reliquam, respiciat causas secundas liberas? Posterius negant Calviniani, dum causas secundas ab ipso decreto dependere dicunt, ita ut nihil agere aut velle possint, nisi à causâ prima ad id moveantur & determinantur. Quàm absurdè verò hæc dicantur, vidimus §. 17. Sic DEUS, inquit August. l. 7. de Civ. DEI c. 30. *administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.* Hoc est, (ut explicat B. D. Eckhardus in Fasc. contro. cap. 6. p. 204.) ita DEUS movet causas secundas, ut interim naturam earum, quam illis primâ creatione indidit, non destruat aut aboleat, sed conservet. Quoniam igitur DEUS voluntati libertatem indidit, & hæc inter causarum secundarum connexionem locum habet, DEUS gubernatrice suâ providentiâ illam non destruit, sed conservat. Et quomodo homo, Sir. 15. v. 14. in actionibus suis potest dici *relictus in manu consilii sui, ut ad quod velit, manum suam extendere possit*, qui in actionibus suis absolutè dependet à decretis Dei? Conf. B. Hülsem. in Brev. Extens. c. 4. §. 11. p. 43. §. XX. *Secundum argumentum desumimus ex promissionum & comminationum divinarum circa Terminum vitæ conditione.* Quicquid enim pietatis & impietatis, obedientiæ & inobedienciæ, pœnitentiæ & impœnitentiæ conditione est limitatum, illud absolutè definitum non est. Sed Term. Vitæ & c. E. Majorem ut veram ex antea dictis præsupponentes, probamus Minorem ex longævitate promissione, positâ pietate, obedientiâ & pœnitentiâ: Et Decurtationis comminatione, posita impietate, inobedienciâ & impœnitentiâ. Illud, sc. *longævitate promissionem*, prob. (1.) *Dictis*, Exod. 20. v. 12. cap. 23. v. 25. Deut. 4. v. 40. cap. 5. v. 16. & 23. cap. 8. v. 1. cap. 11. v. 9. cap. 17. v. 20. c. 25. v. 15. cap. 30. v. 20. Ps. 41. 3. Ps. 91. v. 16. Ps. 102. v. 25. Prov. 3. v. 1. 2. cap. 4. v. 10. cap. 10. v. 27. Jer. 18. v. 7. 8. Sir. 3. v. 7. Eph. 6. v. 2. 3. 1. Tim. 4. 8. (2.) *Exemplis.* Ob pietatem suam Noah cum uxore & filiis, eorumque uxoribus in diluvio conservabatur, Gen. 7. v. 8. 9. ob eandem pietatem Loth in Sodomitarum deletionem, Gen. 19. v. 15. Sic Ezechia, ob vitam piam & serias pro vitæ prorogati-



one effusas preces, Deus quindecim annos vitæ ipsius adjecit, Esa. 38. v. 5. Non absolutè etiam, qui cum Paulo in navi erant, poterant servari, quicquid etiam agerent, sed limitatè, cum conditione sc. obedientiæ, si in navi manerent, Act. 27. v. 31. Non parùm quoque ad vitæ prorogationem valere piorum preces, expressè docet Jacobus in Epist. cap. 5. v. 14. 15. 16. Sic Moses precibus suis Israëlitarum perditionem avertit, Exod. 32. v. 11. & 14. Et Paulus suis & Corinthiorum precibus à morte se liberatum dicit, 2. Cor. 1. v. 8. 11. Quid multis! Nonne ipsa experientia testatur, sæpè ad Ecclesiæ & piorum parentum preces etiam naturæ ordinem inverti, & à morte liberari, qui naturaliter vim morbi superare non poterant? Hoc, sc. *Decurtationis comminationem*, probant non minùs (1.) Dicta Scripturæ manifestissima, ut, Lev. 26. v. 25. Deut. 4. v. 26. cap. 7. v. 10. cap. 8. vers. 19. cap. 11. v. 17. cap. 30. v. 18. Job. 21. v. 21. Pf. 55. v. 24. Pf. 104. v. 35. Pf. 109. v. 8. Prov. 10. v. 27. Esa. 1. v. 20. (2.) Exempla dilucida. Sic Ger & Onan, homines nequissimi, à DEO ob impietatem suam in medio dierum occidebantur, Gen. 38. v. 7. & 10. It. Israëlitæ ad virtutum orantes, Exod. 32. v. 27. & 35. Core, Dathan & Abiram cæterosque DEUM blasphemantes devorabat terra unà cum tabernaculis & universâ substantiâ, Num. 16. v. 31. 32. Omnes viri, quos miserat Mose ad contemplandam terram Canaan, quia murmurare fecerant multitudinem, excepto Josua & Caleb, percutiebantur, Num. 14. v. 36. Ob fornicationem cum filiabus Moab trucidabantur unâ die quatuor millia Israëlitarum, Num. 25. v. 9. Sic ante diem peribant Ægyptii, Israëlitæ persequentes, Exod. 14. v. 28. Absolon, 2. Sam. 18. v. 9. Filii Eli, 1. Sam. 2. v. 25. quadraginta duo pueri Eliseum illudentes 2. Reg. 2. v. 24. Hanania Propheta mendax, Jer. 28. v. 16. 17. Ananias cum uxore, Act. 5. v. 5. & 10. Et plurimi alii.

§. XXI. Multa hîc regerunt Calviniani quibus nervum hujus argumenti infirmare tentant, dicentes, (1.) *DEUM promittere piis vitæ prolongationem, impiis verò minari abbreviationem, quia jam antè decrevit, longiorem aut breviorẽ ipsis concedere vitam*, Sed Resp. quomodo DEUS piis & impiis sub expressâ conditione aliquid promittere & comminari potest, quod jam antè, sepositâ hâc

hâc conditione, ipsis absolutè destinavit? quomodo longævitas pietatem svadere potest illis, quibus jam antea persuasum est, id, quod promissio cōtinet, absolutâ ipsis voluntate DEI decretū esse? Et quomodo, (ut rectissime B. Chemnit. L. C. de Causa Pecc. ait:) invocabit DEUM is, qui omnia necessariò evenire statuit?

§. XXII. (2.) Communiter hîc circa promissiones distinguunt inter *Voluntatem signi*, & *Voluntatem Beneplaciti*. Ubi voluntas signi ipsis est, quando DEUS exteriùs aliquid præcipit ac promittit, quod tamen seriò non vult, & cujus sæpè contrarium ut fieret, ab æterno decrevit; Voluntas autem beneplaciti est, quando interno, arcano & absoluto decreto aliquid vult, etiamsi vel maximè externo affectu id non velle significet: ut v.g. ad voluntatem signi referunt verba ista Esaïæ: *moriendum tibi, Ezechia*; sequentia verò, *non morieris*, ad voluntatem beneplaciti & æternū DEI consilium. Sed quàm pessimè distinctione hâc Scholasticorum Calviniani abutantur, ad oculum demonstrari posset. Sed brevitatis studiosi hoc saltim illis objicimus: Omne signum necessariò habeat suum signatum, cui non nisi relativè opponatur; quod si non habet, nec verum signum esse potest, quia signi formalitatem, potentix scil. cognoscenti signatum repræsentare, non habet. Porrò, omne signum intimè & verè cum suo signato consentiat, nisi vocandum sit signum fallax. Quæ cum juxta sanam Metaphysicorum sententiam ita sese habeant, voluntas signi in DEO secundum Calvinianos aut planè non erit signum, aut signum mendax & falsum. Nec est, quòd dicant, *DEUM præcepisse Abrahamo, ut filium suum immolaret, nec tamen internam ipsius fuisse voluntatem*: præceptum enim hoc non id præcisè volebat, ut Abraham immolaret filium suum, sed ut esset obediens & promptus ad immolandum. Et ut rectè docet B. Walth. in Harm. Bibl. ad Gen. 22. v. 2. *DEUS immolationem præcepit non ad effectum rei, sed ad probationem virtutis Abrahæ. Nam DEUS, ait Becanus Tom. 1. tr. 1. cap. 11. quæst. 1. §. 3. per signa sua semper quidem significat, se aliquid velle; non tamen semper præcisè significat, se id præcisè velle, quod nos primo aspectu concipimus, eum velle.* Manet ergò adhuc signum voluntatis Calvinianorum signum fallax, quamdiu cum beneplacito DEI & signato suo non convenit.



Sed quorsum hæc? cùm ipse Piscator hoc affirmare non erubescat, quando in Resp. ad Apolog. Bertii, pag 145. scribit: *Absurdum non est, DEUM interdum loqui falsum, & nos teneri DEO id, quod falsum est, asserenti credere.* Quia verò in DEUM non cadunt voluntates contrariæ, falsum illum posse loqui, falsissimum est. Vide plura de hæc distinct. ap. B. D. Gerhard. part. 4. Disp. Theol. Disp. 6. de Gloriâ DEI, B. D. Meisner. in Anthropol. 5. Dec. 2. Disp. 12. quæst. 1. n. 32. It. in Phil. Sobr. part. 1. Sect. 4. c. 10. q. 7. p. 629. Chamier. Tom. 2. Panstr. l. 3. c. 8. Zanch. l. 3. de Nat. DEI, c. 4. q. 10. Becanum in Theol. Schol. Tom. 1. v. 42. 1. cap. 11. q. 1. §. 2. seqq.

§. XXIII. (3.) Ad Exemplum Ezechia excip. (a.) *illud esse Exemplum particulare, & sic regulam non evertere.* (β.) *Contineri sub verbis Propheta conditionem, moriturum Regem, nisi seriâ pœnitentiâ se ad DEUM convertat, & prolongationem vitæ expetât.* (γ.) *Verba, morieris tu & non vives, esse tantum comminationem.* Sed Resp. 1. DEUS, Agens liberum, ut nullis legibus, ita nec regulis est adstrictus. (2.) *Conditio pœnitentiæ & impœnitentiæ hîc locum habere non potest, nisi quoque asserere velis, DEUM non absolutè, sed cum prævisione pœnitentiæ Ezechia Vitæ Terminum constituisse.* 3. *Non nudam hîc adesse comminationem, ostendunt sufficienter verba Augustini & Martyris, §. 7. citata.* Nulla ergò, & irrita est explicatio hujus exempli, quam Jac. Crucius in Responsoriis ad Joh. Beverovicium affert, quando dicit: *Contractos videri dies Ezechia & prolongatos: Sed videri tantum. Contractos nempe opinione Regis & suorum, cùm nunciata illi mors, quam credebat sibi imminere, tum in lethali suo morbo, tum in tristi illo Propheta nuncio. Prolongatos inopinatâ & subitâ liberatione à periculo mortis. Haud aliter, quam malefici vitæ prorogari dicitur, si damnatus capitis, pœnam à iudice deprecetur, quæ indicta illi quidem, sed non decreta; quia hoc mortis nuncio reum percelli vult, & ad scelerum pœnitentiam adigi, ut vivat, & periculo suo cautior factus, in posterum magis sapiat.*

§. XXIV. (4.) *Preces piorum dicunt esse media, quæ DEUS, ad absolutum suum decretum exequendum, ab eterno constituerit.* Ita namque Piscator Part. 1. ad Dupl. Vorst. p. 174. *Voluntas, inquit, nostra*

nostra vel ad precandum, vel ad preces omittendas divinitus flectitur & determinatur. Et Andr. Gorrutius Arvernus Consiliarius Regius, l. 7. c. 1. de Prov. dicit: *Quia DEUS parcere decreverat, impulit eos, quibus erat parciturus, ut ipsum exorarent.* Wendel. etiam. Part. 1. Theol. Vind. Exerc. 25. p. 339. Preces piorum scribit esse *media perveniendi ad terminum à DEO definitum.* Conf. Synod. Dordrac. c. 1, Act. 6. & Calvin. Instit. l. 3. cap. 24. §. 12. Sed Resp. falsò præsupponitur, media in præscientiâ & decreto DEI constitutionem termini consequi, cum tamen expressè Paulus, Rom. 8. v. 29. dicat: *Quos DEUS præscivit (media scil. vel accepturos vel repudiaturus,) illos etiam prædestinavit.* Vid. B. Hülsem. Brev. Extens. c. 15. §. 2. p. 240.

§. XXV. (5.) Ad classicum illud dictum, ex Ps. 55. v. ult. petatum, dicunt quidam, *Psalmistam per dies ibi intelligere negotia, quæ improbi adhuc exequi sibi promittunt, ut sit sensus: Non dimidiabunt dies suos, i. e. peribunt, antequam sperant.* Alii verò per *dies suos* intelligunt *Terminum Vitæ communem, qui hodiè præter propter se ad annum vel LXX. vel LXXX. extendit, quem rarò impios, dicunt, attingere, quia vel in acie cadunt, vel carnificis manu tolluntur.* Sed Resp. prior sententia ex hâc ratione locum habere non potest, quia etiam pii sæpè in hâc vitâ plus exequi sibi promittunt, quàm ob appropinquantem vitæ terminum exequi possunt. Rectius ergò locutione Scripturæ solitâ *dimidiare dies* idem significabit, quod numerum dierum suarum non comple- re, abbreviare dies, &c. Posterior explicatio licet priori melior, textui tamen nondum conformis est, quia impii non hominum, sed suos dies dimidiare dicuntur.

§. XXVI. *Tertium Argumentum* desumimus à Medicinæ Necesitate. Si Medicina ideò à DEO creata, & pharmacis vis medendi infusa, ut legitimo eorum usu vita prolongari possit, sequitur, quòd vitæ Terminus non absolutè & simpliciter, sed conditionatè & respectivè sit præfixus. Sed verum prius, ergò & posterius. Prius prob. Sirach. 38. v. 1. seqq. Honora Medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus, &c. Quod Siracidis testimonium comprobatur Exemplum Ezechia, 2. Reg. 20. v. 7. & plurima alia. Non verò hîc, quod probè notandum, excludi-

MUS



mus piis piorum preces & voluntatem DEI; his enim absentibus, & optima Medicina nihil prodest. Sic v. gr. Assæ medicamenta, quæ ad curandos pedes adhibebat, non profuerunt, non quòd Medici opera nihil valeret; sed quia medicamentis preces non addebat, & non in DEO etiam, sed Medicorum arte tantum confidebat, 2. Paral. 16. v. 12. 13. Neque voluntas DEI hinc excludenda, sæpè enim ex singulari gratiâ ad majus malum præcavendum piis medicamenta non benedicit: impiis contra singularem ob causam benedicit.

§. XXVII. Excipiunt Calvin. imprimis Crucius, l. c. & Medicinam subordinatam, dicit, providentiæ divinæ: quia, qui vult finem, vult etiam media ad finem illum ducentia. Jam DEUS, qui omnium nostrorum vult vitam, vult etiam media, ut cibum, potum, & sic quoq; Medicinam. Cui assentitur Wendel. l. c. dicens: Quibus causis & mediis ex hac vitâ DEUS singulos evocat, vel in hac vitâ conservat, iidem evocare, vel conservare ab æterno quoq; decrevit. Eundem in modum scribit Polanus in partit. pag. 36. Decreto DEI omnia fiunt, Eph. 2. v. 11. Omnia verò DEUS ita decrevit, ut tunc locum, tunc tempus & modum, quo fieri debuerunt, desiniverit: tunc singula ad suum finem deputavit, atq; etiam media ipsa, per quæ ad eum finem est perveniendum, ordinavit. Resp. (1.) Idem regerebant olim Stoici: Et preces, & leges, & præmia, & poenas esse in causis & effectis fatalibus. Unde Zeno cum cæderet servum in furto deprehensum, atque hic inclamaret, fatale mihi erat furari. Et cædi, scilicet, fatale erat: subjicit, ceu refert Diogenes Laërtius in ejus vitâ, pag. 450. (2.) Quomodo, quod jam antè DEUS perdere aut servare constituit, Medici opera servare potest. Aut ergò Medicina tollit Decretum absolutum, aut decretum absolutum tollit medicinam. Sed dicunt: Media hæc decretum non tollunt, quia decreto includitur, ut hic vel ille homo non possit non adhibere Medicum. Verùm Resp. Si ex decreto & fataliter adhibent Medicos, cur eos sæpè laudant, quod accuratè magnâq; diligentia ægrotos curarint, aut vice versâ inscitiam eorum accusant; nisi fortè & hoc decretum esse dicant, ut Medicus vel laudetur, vel vituperetur: cum tamen omnis reprehensio requirat culpam, quæ hinc non in Medico, sed in DEO, ob decretum, ejus erit.

erit. Unde appositè satis hâc de re jocatur Barlæus In Resp. ad Be-
verovicium, quando ait: *Cùm sanus est Stoicus & ambulat, pro
absoluto decreto pugnat, tanquam pro aris & focus. Cùm egrotat,
non minùs conditiones amat, quàm Peripateticus. Et quamvis me-
dicinam conditionem decreti divini esse nolit, tamen conditionem
ipsius facit, quoties timet, Medico non uti.*

§. XXIX. *Quartum argumentum* desumimus ab Absur-
do. Si enim DEUS simpliciter ex absoluto decreto & irresistibili
necesitate cuiusvis hominum certum vitæ Terminum quoad tem-
pus, genus, & omnes circumstantias, exclusis omnibus condi-
tionibus, constituit, sequitur (1.) DEUM quibusdam consti-
tuisse vitæ Terminum infamem per suspendium, ignem, rotam,
suffocationem, &c. aliis per *ἀποχρισίας*, ut Sauli, 1. Sam. 31. v. 4.
Ahitopheli, 2. Sam. 17. v. 23. Judæ, Matth. 27. v. 5. (2.) Sequitur,
DEUM esse causam peccati, quia ut finem, ita & media ad finem
illum ducentia secundùm adversarios præordinavit. Sequitur
(3.) periculum amantem perire non posse, contra Sir. 3. v. 27. Se-
quitur (4.) Milites in prælium euntes non esse armandos, sed
media hostium castra ingredi & nunquam jure fugâ sibi consulere
posse, &c. Jam secundùm Calv. verum prius, ergò & posterius,
Connexio, quæ est à genere ad suas species, certissima est. Quæ
absurda omnia & plurima alia ex hypothesi adversariorum pro-
manantia tanta sunt, ut sano cuiusvis ad sententiæ nostræ commen-
dationem, & adversæ confutati onem sufficere possint.

§. XXIX. Quomodo verò Adversarii absurda hæc con-
ciliare conentur, hîc ob pagellarum angustiam inquirere opero-
sius non licebit; unicum saltim, quod Altingius in Theol. Pro-
blematica, l. 6. probl. 6. habet, adducemus. Dicit ille: *DEUM
quidem homines prædestinasse ad pœnam, non vero ad peccatum. Neq̃
absurdum esse dicere: DEUM justo judicio nonnullos ad mortem vio-
lentam, ut filios Eli, 1. Sam. 2. v. 34. c. 4. v. 11. aut ad ἀποχρισίας,
ut Judam, Matth. 27. v. 5. destinasse.* Ut non dicamus, Altingium
hîc à plurimis suæ religioni addictis secedere, qui & peccata, ut
media prædestinationi absolutæ includunt; unicum hoc ipsi obji-
cimus: Si DEUS prædestinavit quosdam ad pœnam, prædestina-
vit vel absolutè, vel ex prævisione impietatis & scelerum. Si ab-
solu-

D

solu-

solutè, erit injustus & Tyrannus. Si ex prævisione impietatis & flagitiorum, prædestinavit conditionaliter: quod tamen non concedit. Exempla allata apertissimam includunt conditionem impietatis, ut §. 9. & 20. ostendimus.

§. XXX. Confirmatâ jam sententiâ orthodoxâ, & ab exceptionibus vindicatâ, breviter fundamenta, quibus absolutum suum decretum de Termino vitæ Calviniani superstruere conantur, videamus. *Objic. ergò (1.)* Dicitur illud, Job. 14. v. 15. *Definiti sunt dies ejus, numerus mensium ejus apud te est: Constituisti Terminos ejus, quos non præteribit.* Verùm Resp. indicat his verbis Jobus, non tantùm dies & menses nostros infallibiliter in conspectu DEI esse, sed & ejus Terminum certò DEUM constituisse. Constituisse verò eum absolutè & simpliciter, nunquam ex hoc dicto probari potest: Jobus enim constitutionem factam insinuat, non quâ ratione aut quomodo, an absolutè, an in respectu ad causas secundas. Cum circumscriptione verò prævisionis verba Jobi intelligenda esse, tum antecedentia, tum consequentia innuunt: Disputat enim h. l. Jobus contra Epicureos dicentes, ex Sap. 2. v. 2. *fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus;* & innuit, uti non fortuitò sine providentiâ DEI nascimur, cap. 10. v. 8. ita neque sine directione ejus nos denasci posse. Verba ergò illa: *quos non præteribit,* non absolutum DEI decretum, sed infallibilem ejus præscientiam & providentiam respiciunt. Unde injuriam Jobo faciunt Calviniani, ut rectissimè monet D. Menzerus in Disp. de term. vitæ, habitâ in Acad. Rinthel. pag. 28. dicens: *Quemadmodum Judæi hereseos hujus Jobum incusant, quòd quicquid homini accidat, ex dispositione astrorum tempore nativitatis decretum sit atq; determinatum: Ita hi nostri (Calviniani) Absoluti sui decreti assertorem eum faciunt, non leviori injuriâ.*

§. XXXI. *Objic. (2.)* *Quicumq; Vita Terminus infallibiliter prædicitur in Scripturâ, is immutabiliter definitus est apud Deum. Sed Terminus Vitæ quibusdam infallibiliter prædicitur in Scriptura. Ergò. Maj. probant, quia Termini coherent, ut Causa & Effectum. Minorem verò inductione Exemplorum, ut Moysis, Deut. 31. v. 14. Infantis Davidis, 2. Sam. 12. v. 14. Filii Jeroboami, 1. Reg. 14. v. 12.*
Aba.

Abasia Regis Israël, 2. Reg. 1. v. 4. &c. Sed Resp. ad Maj. eam falsâ hâc nit. hypothesi, quasi præscientia DEI sit rei præscitæ causa. Ut autem hoc loco non quæritur de causâ illationis, h. e. tali, quæ per bonam consequentiam rei futuræ causa dici potest; sed de causâ productionis & essentialitatis: Præscientiam esse rei præscitæ causam, negamus, quia & DEUS seipsum & multa impossibilia cognoscit, non tamen eorum causa essendi dici potest. Ast dicunt Calviniani: *Præscientiam quidem in se non esse causam, sed quatenus cum decreto & beneplacito DEI conjuncta est.* Ita enim Charnier Panstr. Tom. 2. l. 2. de Prov. c. 4. *Docemus, inquit, Præscientia DEI separari non potest ab ejusdem decreto seu prædestinatione, decretum autem nullo modo falli potest.* Itaq; *ejus certissimi, imò verò etiam necessario certissimi sunt eventus, &c.* Conf. Ursinus in Tract. Theol. p. 167. Sed malè adversarii præscientiam & decretum confundunt, tanquam, quæ tùm ratione subjecti, tùm ratione objecti inter se distingvuntur. Præsc. namque ad intellectum refertur, & circa omnes hominum actiones, tam malas, quam bonas, imò nunquam futuras versatur: Decretum verò ad voluntatem pertinet, & circa possibilia, & actiones bonas tantùm occupatum est. Sic Præscientia DEO, ut essentialitatis ejus attributum, necessario competit; Decretum verò à liberrimâ ejus voluntate dependet. Alii, licet Præscientiam à Decreto distingvant, idè eam tamen dicunt necessitare, quia non versetur nisi circa objectum antea decretum, uti hoc innuit Wendel. quando l. c. p. 334. ait: *Uti futurum nihil est, vel esse potest, nisi quod decreverit DEUS efficere vel permittere, & tandem efficiat aut permittat: ita quoq; nihil præscit futurum, nisi quod efficere vel permittere decrevit: nec enim res aliter præsciuntur futura, quam sunt futura: aliàs falsè præscirentur.* Satis deinde absurdè Wendelinus absurdam facit sententiam, quæ præscientiam ordine priorem voluntate & decreto divino facit. Sed præscire DEUM, antequam decernat, ex objecto patet, in quo ut datur prius & posterius, ita & in intellectu divino; non, ac si DEUS uno & simplicissimo intuitu omnia cognoscere non posset, sed ratione nostri, ubi omne poenarum decretum delictum præcedit. Pridem sic monuit Svarez. Tom. 1. in Thom. in Tr. 2. l. 6. c. 14. scribens: *Licet in DEO secundum se*

nihil sit prius & posterius, secundum rem tamen in objectis ipsis invenitur aliquis ordo, ratione cujus sicut in DEO distingvimus plures actus secundum rationem nostram, ita etiam unum concipimus ut priorem alio, &c. Urgent illud Rom. 8. v. 29. ita hinc colligentes: Q. DEUS præscit, illud etiam decrevit, ut fieret & prædestinavit. Sed contrarium rectius ex textu elicitur. Præscita enim DEUS prædestinare dicitur, non prædestinata præscire. Unde plurimi Patrum ex h. l. prædestinationem, quæ secundum præscientiam est, confirmare voluerunt. Exempla ad Minorem probandam adducta, conciliata vide ap. D. Fevverbornium l. cit. §. 44. 45. & 46.

obj. §. XXXII. Objicit (3.) Altingius l. c. Si nullum est decretum DEI conditionatum, sequitur, DEUM aut nihil apud se statuisse de Termino vite humana, aut esse eum certum, fixum, & immutabilem. Antecedens probat hoc modo: Cujus scientia nullum dari potest verum objectum ea nulla est, seu ea reverà non est: Scientia conditionata nullum dari potest verum objectum, ergò ea nulla est, seu reverà non est. Maj. pro certo habet ideò, quia veritas scientiæ estimatur ex vero & proprio objecto. Minorem probat hoc argumento: Si omnes actus voluntatis humanae subjacent providentiæ divinae, & ab ea reguntur, nulli omnino actus eximuntur ab ejus ordine, ut sint independentes & indeterminati. Sed verum prius, quia omnes actus causæ secundæ dependent à primâ, Act. 17. v. 28. Actus liberi sunt actus causæ secundæ, scil. voluntatis humanae, ergò: Verum enim verò Resp. Totum hoc Argumentum pro fundamento habet, ut neget voluntatis libertatem & rerum contingentiam; utramque verò dari, supra §. 17. sufficienter probatum dedimus. Ad ipsum verò Argumentum Altingii ut respondeamus: Probat ille, omne decretum esse absolutum, quia objectum conditionatum non datur, & omnes actus causæ secundæ providentiæ, & directioni DEI subjacent. Sed falsissimum est, providentiæ DEI tollere libertatem hominis. Ut enim ante lapsum stante providentiâ, humana voluntas erat libera; ita adhuc hodiè DEUS concurrat cum causis secundis & actionibus hominum, non pronaturâ DEI, sed pro naturâ ipsius causæ, cum quâ concurrat, cum liberis scil. liberè, cum contingentibus contingentè, cum

eum necessariis necessariò. Et sic quando concurrit cum voluntate humanâ, concurrit tantùm ad id, ad quod voluntas jam antea liberè se determinavit: qui concursus, quia determinatione voluntatis posterior est, voluntatis libertatem non tollit. Et ne auctoritatem nostrorum spernat Altingius, adducemus ipsius Bucani verba, quæ ingrata esse non possunt. Ille enim Loc. 14. ad qu. *An inimmutabilis DEI Providentia tollat voluntatis libertatem?* Respond. *Nequaquam: quia DEUS voluntatem humanam regit & gubernat secundùm naturam ipsius. Est autem voluntatis humane natura, ut quicquid vult, sive bonum, sive malum, illud liberè & sponte, non coactè & invitè velit, alioquin non esset voluntas, sed noluntas.* Nec quicquam nobis obstat locus, Jerem. 10. v. 23. *Disting. enim inter ipsum voluntatis determinationem liberam, & determinationis eventum: in solius enim DEI potestate situm, actum, ad quem se determinavit voluntas, ad bonum dirigere finem. Quod patet ex Prov. 16. 1. seqq. Hominis est cor preparare, sed DEI est gubernare.*

§. XXXIV. Reliqua Argumenta, quæ Adversarii desumunt ex Matth. 10. v. 28. 29. 30. Luc. 24. v. 26. Actor. 17. v. 26. Ps. 31. v. 16. Ps. 37. v. 18. Ps. 39. v. 6. Ps. 139. v. 16. Jer. 28. v. 16. 17. Sir. 17. v. 3. &c. adeò sunt infirma, ut examen non mereantur, & loquuntur partim de Providentiâ DEI, partim voluntatis libertatem & præscientiam DEI præsupponunt. Vid Walth. in Harm. Bibl. & System. Brochmandi L. C. de Prov. c. 2 quæst. 3. Et quia breves hîc sunt ducendæ lineæ, hæc & reliqua Adversariorum argumenta discursui reservabimus. Ne verò aliquid omisisse videamur, unum & alterum problema in ulteriorem discursus nostri dilucidationem subnectemus. Sit itaque

PROBL. I.

An Terminus Vitæ communis hoc nostro tempore se præter propter ad annum LXX. & LXXX. extendat.?

Antequam cum magnis Viris quæsti affirmativam aggrediamur, monemus in antecessum, nobis hîc quæstionem non esse

D 3

esse

esse de Termino Ante- sed Postdiluviano, neque de Termino ut
sic, tam ordinario & naturali, quam extraordinario & superna-
turali; Sed de Ordinario & Naturali tantum: Extraordinarie
enim ex occulto DEI beneplacito etiam centesimum annum ho-
mines superare possunt, uti Exempla non pauca id demonstrant.
Sic Simeon Episcopus Hierosolymitanus vixit 120. annos, Pau-
lus Eremita 100. S. Antonius 150. ut refert Athanasius in ejus vita,
Nestor etiam tertiam hominis aetatem attigit, ut de seipso testatur
ap. Ovid. Metamorph. l. 12. dicens:

Vixi

Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas.

Indianos etiam trecentorum annorum à Lusitanis inventos esse,
refert Vasæus in Chron. Hisp. Qui omnes non communem & or-
dinarium, sed singularem & extraordinarium experti sunt vitæ
Terminum. Probatur autem affirmativa inter alia, ex Ps. 90. v. 10.
ubi Moyses annos vitæ nostræ dicit LXX. & si in excellentiâ,
LXXX. innuens, eò usque se naturaliter vires vitæ humanæ exten-
dere posse. Vocatur aliàs hic Terminus, *Terminus decretionis*,
quia DEUS ad hunc vel illum annum hominibus causas naturales,
si sibi relinquerentur, conservare decrevit. Et licet Moyses ipse
hunc Terminum longè superarit, dum Deut. 31. v. 2. centum &
viginti annos dicitur attigisse: factum id est singulari DEI pro-
videntiâ, ut Moyses tanquam duplo major probiorque aliis, &
duplo majorem ferè cursum superarit. Uti isthanc rei hujus ra-
tionem dat B. D. Walth. in Harm. Bibl. ad Deut. 31. v. 2. Eundem
vitæ Terminum, ad octogesimum scil. annum, & Persas deter-
minasse, asserit Herod. Hist. lib. 3. Huic nostræ Assertioni sese
opponunt Joseph. l. 1. Antiq. Jud. c. 4. Lactantius, l. 2. de Orig.
err. c. 14. Rupertus l. 4. Comm. in Gen. cap. 13. Tostatus ad Gen.
cap. 6. v. 3. dicentes, Terminum vitæ communem post diluvium
se ad CXX annos extendere; sed quo fundamentò, probat ex-
perientia. Nec obstat locus, Gen. 6. v. 3. *Non permanebit Spi-
ritus meus in homine in aeternum, quia caro est: Eruntq; dies illius
centum viginti annorum.* Non enim ibi sermo est de Termino vitæ,
quia multis seculis post diluvium Terminum hunc homines lon-
gè superarunt, uti videre est Gen. 11. Et Patriarchæ, usque ad
Jose

Josephum, omnes, totis annis octingentis à diluvio, Terminum hunc supergressi sunt. Rectius proinde cum Augustino, Hieronymo & aliis dicitur, CXX. annos hinc non *tempus vitæ*, sed *tempus poenitentiae* significare, ut sit sensus: Dies, i. e. tempus, intra quod respicere homo poterit, erit CXX. annorum. Quem sensum præter ipsum contextum, exhibet interpretatio Petrina, 1. Epist. c. 3. v. 20. An verò, & quomodo hoc tempus poenitentiae fuerit completum, quandoquidem, secundum relationem Moysi, hæc à Deo dicebantur, postquam Noah jam genuisset liberos, & ab eo tempore, quo Noah genuit liberos usque ad diluvium, transierint tantum centum anni, ut ex c. 5. v. 32. & c. 7. v. 6. & 11. constat, docet B. D. Walch. l. c.

PROBL. II.

Cur Terminus Vitæ hoc nostro tempore se non eò usque extendat, quo tempore Patriarcharum, & ante diluvium?

ANtequam in causas hujus rei inquiremus, ante omnia errorum removendus erit, qui, ut eundem post, quam ante diluvium fuisse vitæ Terminum communem, obtineant, per annos antediluvianos intelligunt Lunares & Menstruos. Absurdum autem hoc esse, & sine fundamento affirmari, probat Scaliger, l. 3. de emend. temp. p. 151. ex ipsa historiâ diluvii universalis: Nam Moses Genes. 7. v. 11. scribit, diluvium cepisse die 17. mensis secundi, & die 17. mensis septimi iterum requievisse arcam super montes Ararat, c. 8. v. 4. c. verò 7. v. 24. dicit, aquas 150. dies super terram stetisse. Ergò à 17. mensis secundi ad 17. mensis septimi transierunt 150. dies, qui per 30. divisi quinque menses conficiunt. Si ergò singulis mensibus 30. dies adscribuntur, non Lunares, sed Solares intelligendos esse annos, patet. Accedit absurdum hoc, Patres ante & circa diluvium quarto, quinto & sexto anno ætatis genuisse liberos. Uti Henoch, qui anno 65. genuit Mathusalem, Gen. 5. vers. 21. tum temporis egisset annum solarem septimum. Et Arphaxad cum 35. annorum natus genuit Sale:

Sale cap. II. 12. habuisset tùm temporis annos solares tres & dimidium. Et Abraham centum septuaginta quinque annos natus in senectute bonâ & provecâ atate obiit, cùm tamen secundùm illos vix 18. attigisset annum, Gen. 25. v. 8. Sed missâ ridiculâ hâc calculatione, cui vix ullus sanæ mentis calculum suum adjiciet, in causas potiùs hujus longævitatatis inquiremus. Sunt autem Causæ hæ vel Supernaturales, vel Naturales: Supernaturales sunt singularis DEI benedictio, Gen. 3. 20. pro fine habens, tùm proli procreationem, secundùm illud, Gen. 1. v. 28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*: tùm cultus divini propagationem; nondum enim extabat verbum scriptum: quò ergò commodiùs informari possent posterì, necessaria erat vita longævior. Causæ Naturales fuerunt variæ (1.) *Vicinitas primæ creationis*; vige-
bat enim adhuc bonitas constitutionis, egregia calidi innati & humidi radicalis proportio, nondum variis morbis obnoxia. (2.) *Nutrimenti salubritas*: nondum enim herbæ & fructus corrupti erant aquis diluvii. (3.) *Ratio victus simplicior*: Non enim tùm temporis, ut hodiè, plurimos necabat gula; non ibi, ut hodiè, tanta condimentorum mixtura locum obtinebat, ut quæ sæpissimè morbos causat. Unde Joseph, l. 2. c. 7. de Bello Jud. scribit, *Esenos propter simplicitatem victus & vitam ordinatam longissima fuisse vita; ita ut plurimi eorum ad centesimum pervenerint annum*. Nec est, si quis idem ex Matth. 23. v. 38. de hominibus ante diluvianis asserere vellet: loquitur enim ibi Christus non de omni tempore antediluviano, sed illo quod immediatè diluvium præcedebat: neque tam ipsorum intemperantiam, quàm socordiam & securitatem culpât, nisi & matrimonium contrahentes reprehendisse asserere velimus. (4.) *Loci Salubritas*: Habebant enim in Oriente, loco ob aërem & solum saluberrimo, & ad conservandam valetudinem multùm faciente. Et adhuc hodiè (si historicis fides non deroganda) incolæ regionis Chinæ, in extremo Orientis sitæ, ob aëris & cœli clementiam reliquis Asiæ populis longæviores prædicantur: Ita ut corpore adhuc valido & firmo multi ducentesimum attingant annum. Idem historicâ fide de Hybèrniæ tractu boreali & aliquot Insulis Orcadicis fertur, quòd ibi homines vitam prorogent usque ad tædium vivendi; ac
nisi

nisi in alia loca transportentur, mortem egre consequantur. Plures & prolixiores qui desiderat rationes, adeat in primis Arnold. Sengverdium in Exerc. Phys. Exerc. 2.

PROBL. III.

An DEUS quibusdam hominibus ita constituerit Vitæ Terminum, ut bis ipsis naturaliter moriendum fuerit?

QVæstio hæc licet magis curiosa, quam fructuosa videatur, & cujus expressam decisionem in Scriptura non invenimus; nihilominus tamen, quia plurima occurrunt exempla eorum, qui secundâ vice naturaliter mortui sunt, non sine ratione eam hîc subjicimus. Ut autem breviter, quid res sit, dicamus, probamus Affirmativam hoc modo: *Quicumq; naturaliter mortui ad vitam naturalem, terrenam & temporalem resuscitantur, illis suo tempore denuò moriendum est. At qui quidam naturaliter mortui, à Christo, Prophetis & Apostolis ad hanc vitam naturalem, &c. resuscitati sunt. Ergò illis suo tempore denuò moriendum fuit.* Majoris consequentia patet, quia si mors naturalis fit per solutionem animæ à corpore, in naturalem vitam resuscitatis iterum moriendum erit; ordinariè namque nullus cum Enocho & Eliâ vivus in cælum transfertur. Minor probatur Exemplis: Sic enim Christus resuscitavit filiam Jairi, Matth. 9. v. 24. unicum viduæ filium in Nain, Luc. 7. v. 15. Lazarum, Johan. 11. vers. 44. Elias Propheta filium viduæ Sareptanæ, 1. Reg. 17. vers. 22. Elifæus filium mulieris Sunamitidis, 2. Reg. 4. v. 35. Petrus Apostolus Tabeam, Actor. 9. v. 40. Paulus Eutychem, cap. 20. 12. Et quamvis hi non fuerint mortui ex debito naturæ, sed ad gloriam DEI, ut scilicet Christus mundo potentiam suam declararet, quemadmodum ipse testatur Johan. 11. vers. 4. mortuos tamen reverâ fuisse, negari non potest: aliàs eorum resuscitatio non fuisset miraculum. Resuscitados verò eos etiam fuisse ad vitam naturalem, probamus hoc modo

E

modo



modo: Cujuscunque hominis actiones & passiones sunt naturales,
illius vita etiam est naturalis. Sed hominum illorum resuscita-
torum actiones etiam post resurrectionem fuerunt naturales,
quod vel unicus Lazarus, quem Judæi interficere conabantur,
probabit, Johan. 12. vers. 10. Ergò. Item: Cujuscunque homi-
nis anima est peccaminosa, illius etiam vita est peccaminosa, &
per consequens naturalis. Sed resuscitatorum anima fuit pec-
caminosa. Ergò. Plenius qui hæc, imprimis ubi per tempus so-
lutionis animæ istorum hominum extiterint, diducta desiderat,
adeat B. D. Gerhard. Tom. 8. L. de Morte, §. 68. it. Annot. in
Matth. cap. 9. vers. 24. 25. Fevrborn. Fasc. 5. Disput. 7. §. 28.
Meisnerum Decad. 1. Anthrop. Disput. 2. quæst. 2. thes. 22. seqq.
Friedlieb in Medullâ Theol. L. de Morte, quæst. 4. König.
Vindic. Sac. Loc. 48 Nos interim hîc ponimus
Terminum, dicentes

SOLI DEO GLORIAM!



Ad

Ad
Eximium atq; Præstantissimum,
DN. MATTHIAM JACOBI,
SS. Theol. Cultorem strenuum,
Eruditæ Disertationis DE TERMINO VITÆ
Autorem eruditissimum.

Terminus est certus vitæ, fatalis at ille est
Hautquaquam. Pulchrè hoc TUA disertatio monstrat.
Affectui, & quidem singulari testando L. M. Q.
adjiciebam

JOH. ERNESTUS GERHARDUS,
SS. Theol. D. & P.P.

I.
Quod Es höchsten Macht hat unser Thun und Leben
Nach seinem Rath' in ein gewisses Ziel
Beschränkt/und ihm kan niemand wiederstreben/
Er sorge gleich deswegen noch so viel:
Der Jahre Zahl/ die uns ist vorgeschrieben/
Läßt sich durch Nichts verlängern/ und verschieben!

II.
Wie aber kömmt's/ dörfft irgend einer fragen/
Beherrscher uns ein unfehlbarer Schluß?
Desselben sich leicht keiner könt' einschlagen/
Ubt er Gewalt/das man ihm folgen muß;
Und keine Krafft gesunder Arkeneyen/
Vermögend ist von solchem zu befreien?

III.
So läßt sich zwar hierbey Calvinus hören:
Nebst seiner Zunft/wiewohl ohn' allen Grund;
Die Bibel weiß weit anders zu belehren/
Als die uns nicht macht solchen Rath-Schluß thun.
Da ist auch kein Verhängniß zu befinden/
An welches sich die Stoicker sonst binden.

IV. Dies:

IV.

Dies hat Er wohl/ Geehrter Freund/ betrachtet/
 Und also schön und ordentlich erklärt:
 Daß man daraus den strengen Fleiß erachtet/
 Der ihn fürwahr macht großes Lobes wehrt;
 Er hat die Zeit höchst glücklich angeleget/
 Weil Ehr' und Kunst zu Ihm Belieben träget!

V.

Eusebie beglänzt mit hellen Flammen
 Die Schrift/die auff des Lebens Ende führt:
 Der kluge Sinn muß von dem Himmel stammen/
 Weil Er ihn hat mit Gaben ausgeziert;
 Die erste Prob' ist würdig zu erhöhen/
 Sein werther Preis soll ohne Ziehl bestehen.

VI.

Der Ruhm wird ihn ins Vater-Land begleiten/
 Das/wie mich dünckt/ schon günstig nach ihm sieht!
 Wer so gelehrt die Flucht der Lebens-Zeiten
 Beschrieben hat in zarter Jugend-Blüht/
 Wird künftig uns mit Mehrem dienen können/
 GOTT woll' Ihm Heil und reichen Zuwachs gönnen!

VII.

Wohl dem/der stets des Lebens-Ziel bedencket/
 Und Sein Gemüth an Gottes Wort' ergetzt!
 Wohl dem/der sich von Eitelkeiten lencket/
 Dadurch die Seel' in Jammer wird gesetzt:
 Dies Leben fleucht/und muß in Kürzem weichen/
 Das Ewige kan nie ein End' erreichen.

Hiermit wolte den Herrn Antwortenden/
 der Gelehrten Disputation Erfinder/
 aus Wohlgeogenheit Glück-wün-
 schen desselben

Sämtliche Tisch-Gesellschaft.

E N D E.

99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022




Ruhr

Vb 17



DISPUTATION
D. ECCLESIAE





34.
I. N. 7.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
TERMINO VITÆ
HUMANÆ,

Quam
in florentissimâ Academiâ Salanâ,

PRÆSIDE
VIRO

Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DN.

JOH. ERNESTO GERHARDO,
SS. Theol. D. & Prof. Publ. longè celeberrimo,
& venerandæ Facultatis Theologicæ h. t. DECANO
spectatissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni obser-
vantiæ & honoris cultu aternùm devenerando,

Publico examini sistit

AUTOR

MATTHIAS JACOBI,
DANTISCANUS.

Ad d. 25. Junii Anno M DC LXIV.
in Auditorio Theologorum.

JENÆ,
Typis JOHANNIS NISIL